





Pri. 30. *Anno 1767*.

1767, 42.

EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONEM CONTINENS:

*An ususfructus peculii aduentitii  
liberorum, si pater bonis cessit, ad eius concursum  
referri possit?*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.  
CVRIA IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC.  
LVSAT. INFERIOR. NEC NON FACVLT.  
IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. VIII. IVL. MDCCCLXVII.

P V B L I C E P R O F O N I T

JOHANNES CHRISTIANVS SCHWENCKE

IVTERBOC. SAXO.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.



A31215 GLA 100

CHIROS BIBLIOTHECA


1715. CHIROS BIBLIOTHECA

E 1.1-2.5

CHIROS BIBLIOTHECA



*An  
vſusfructus peculii aduentitii liberorum, si pater  
bonis cefſit, ad eius concurſum referri poſſit.*



§. I.

**D**iuersi ſunt effectus potestatis patriae, quam antiquissimis, pariter quam recentioribus temporibus legum auctoritate ſtabilitam, et confirmatam ſcimus. Et quamuis iure Romano ſecundum quod haec potestas *lege 3. ff. de patr. pot. propria erat ciuium*, illi enim ſingularem ſtatum aliis populis non competentem, repraesentabant, praecipua, et ferme domino ſimilia producebat emolumenta, mutata tamen eſt cauſa recentioribus temporibus, ut effectus huius potestatis magis ad aequitatem, quam rigorem iuris accommodatus videatur. Exinde fluunt obligationes, quas parentes liberis praeflant, et quae potiffimum in educatione, alimentatione, et defenſione conſiftunt, nec non officia, quea liberis exiguntur, et reuerentiam ſingularem, quain lex naturae praecipit, humana conſirmat pari-

A 2

terque

terque determinat, respiciunt. Et cum diuersa in multis articulis sit conditio patris et matris, illi qui est caput familiae, et rem domesticam gubernat, in compensationem onerum familiarium, quae sentit, certa, quamdiu durat potestas patria, vtilitas competit.

### §. II.

Haec vtilitas, quam soli tribuimus patri, obuersatur in facultate administrandi liberorum bona, illisque vtendi cum hac nota: vt nec cautionem exigere possit filius, quae tamen alias ab iis, qui administrant bona aliena, exigi potest, nec ad rationes reddendas obligatus teneatur pater, cum non in alterius gratiam, sed suae tantum vtilitatis caufa, administracionem, legibus concessam, suscipiat. Diuersa tamen bona, quae liberi posident, in considerationem sunt vocanda, cum non in omnibus, sed certis tantum vsumfructum constitutum sciamus. Hinc bona castrenia, et quasi castrenia, nec non aduentitia irregularia huc non pertinent; in prioribus enim filius pro patre familias habetur, et sic libere administrat, et adquirit, nullo patri in eo, et olim *f. i. I.* Per quas *personas* cuique adquir. competente iure. In posterioribus vero quamuis filiusfamilias sub potestate patria sit constitutus, nihilominus tamen, dummodo perfectam attigerit aetatem, ex omnium consensu illi competit facultas disponendi inter viuos, imo si Nouellam CXVII. *c. i. f. i.* ad quam Doctores prouocant, consideres,

consideres, testamenti quoque factionem non esse denegandum, inuenies. Cum enim Imperator his personis in genere facultatem disponendi, quod appetet ex verbis, *quo volunt modo*, concedere voluerit, nulla datur ratio, cur testamenti factio, tanquam species dispositionis sit excludenda. Restat itaque solummodo peculium aduentitium regulare, de quo vsumfructum, ex legis dispositione prouenientem, sibi vindicare potest pater.

§. III.

Variae sunt causae ob quas patria potestas dissolui potest, et patrem, vel consentientem, vel dissentientem praesupponunt: Ad posteriorem casum pertinet potissimum virtutis emancipatio, quae equidem ex iure Saxonico formam et determinationem consequitur, at legibus Romanis non penitus est incognita. Quod si enim *legem 1. C. de patr. pat euoluere velis*, inuenies Imperatores Antoninum et Verum disceptationi Praefidis subiecisse, vtrum audiendus sit pater, qui diu passus est patrisfamilias res eius agi per eos, qui testamento matris tutores nominati fuerant et *lege 25. ff. de Adoptionib.* mentionem facit Paulus filiae, quae ut materfamilias, quasi iure emancipata vixerat: In vtraque lege vestigia tacitae emancipationis contineri, quilibet, qui duce *Celso l. 17. ff. de legib.* non sola verba, sed vim et potestatem legis tenet, sponte profiteri cogitur. Sed haec in transitu tantum dicta

A 3

sufficiant;

sufficient; procedamus potius ad quaestionem, cuius gratia hanc exercitationem conscripsimus: quem in fine sequentem dabimus casum.

#### §. IV.

Titius quem, premit inopia, a creditoribus conuenitur, vt solutionem praefest. Dum videt se in ea conditione esse positum, vt illorum desiderio satisfacere nulla ratione queat, ad evitandum maius malum bonis cedit. Existente concursu filio a tertio obuenit hereditas. Creditores eandem ad peculium aduentitium regulare referendam esse contendunt, et, vt huius substantiae ususfructus, quem in regula percipit pater, ad massam concursus reducatur, petunt, cui tamen desiderio filius contradicit, et exceptionem deficients iuris agendi opponit. Decidenda nunc est quaestio, vtrum creditoribus sit indulgendum, vel eorum petitio legum auctoritate desituatur.

#### §. V.

Negatiuam sententiam defendi posse, non exigua dantur argumenta. Ius percipiendi usum fructum peculii aduentitii, quod possident liberi, ex patria descendit potestate, et ad eius effectum refertur. Haec potestas est qualitas singularis personae competens, et hinc inde nec aliis cedi, nec ad eos transferri potest. In eo enim consistunt iura personae cohæ-

cchaerentia, vt vltra personam minime extendantur. Quis vero affirmabit, creditores patriam potestatem erga liberos exercere posse, cum tantum bona debitoris possideant, et ex illis solutionem, in quantum vires sufficient, exigant. Cui accedit, quod creditoribus secundum ius commune tam-tum competit ius in iis bonis, quae debitor tunc temporis, cum cederet bonis, possidet, id quod naturae beneficii cessionis conuenit. Debitor etenim, qui huius auxilio vtitur, mediante iurata specificatione tenetur manifestare patrimonium, vt sciant creditores, quid in bonis habeat, et ad mas-sam concursus trahi possit. Quodsi itaque tunc temporis nondum existebat peculium aduentitium, creditoribus non competit ius illud vindicandi, multo minus ex postfacto hu-ius substantiae, cum eius possessionem non fuerint nachi, vsumfructum percipiendi. Hac ex causa actio Pauliana tam-tum obtinebat circa alienationem, quam debitor bonis a creditoribus possessis, suscepferat, cum eiusmodi res in do-minio creditorum existentes fingerentur: Assistere et huic sententiae videtur lex 6. ff. de cest. bonor.: in qua Paulus negat creditoribus circa vsumfructum, debitori post cessionem bonorum competentem, esse ius. Limitatur equidem hoc assertum per verba posteriora, *ex quo tantum percipitur, quantum ei alimentorum nomine satis est.* Sed nihil obstat. Debitor etenim, qui bonis lapsus est, tantam sentit inopiam, vt nihil habeat, unde victum, et amictum sibi possit comparare.

Vsus

Vsus fructus itaque, quem ipsi leges ex peculio aduentitio liberorum concedunt, inseruit sustentationi, et est loco alimentorum.

### §. VI.

Defendere hanc sententiam negatiuam quoque videatur, quod patri vsusfructus ex voluntate eius, qui filio, vel hereditatem, vel legatum relinquit, possit adimi. *Authent. expicitur C. de bon. quae liber. id quod glossa et alii, quos recenset Pascalis de viribus patriae Potestatis P. I. c. 3. p. 38.* extendit ad legitimam: si nempe filio a matre, vel auia aliquid obueniat, quamuis de hac sententia mihi nondum satis constet. Prohibitio vero illa, quatenus locum meretur, non solum expresse sed etiam tacite fieri potest, ad quam posteriorem refertur ea, quae ex coniecturata mente testatoris colligitur. Saepiuscule enim in vltimis voluntatibus obuenit, vt mentem testatoris non ex verbis, sed ex praesumptionibus, et coniecturis interpretemur, hac ex causa legatarius, cui res aliena relictā, probare tenetur, testatorem sciuisse rem esse alienam: quia praesumimus testatorem neutiquam onerasse heredem si rei alienae scientiam habuisset. Quod si itaque Titius filio, cuius patris bona a creditoribus erant occupata, per hereditatem vel legatum prospexit, haud exigua, potius fortissima, militat praesumtio, eum non ad patrem, sed solummodo ad filium respexisse, nec voluisse, vt creditores huius

bene-

beneficii fiant participes. Quicunque enim legat, de eo presumimus, quod habeat affectum erga personam, cui hoc relinquit, cum legatum sit liberalitas et species donationis, quae ex voluntate donantis in indignum non confertur.

§. VII.

Affirmatiuam sententiam alii amplectuntur, quibus, dummodo hoc non generaliter assererent, sponte accederem. Distinguendum etenim esse censeo inter debitorem, de cuius dolo inter omnes constat, et eum, qui sine sua culpa potius casu in eam deuenit conditionem, ut bona creditoribus relinquere, et ad fleibile beneficium cessionis prouocare cogatur. Indubitati nimirum est iuris, dolum sequi infamiam, quae poena ex legum auctoritate cum dolo ita est coniuncta, ut ab eo separari nulla ratione possit. Hac ex causa leges beneficium cessionis bonorum introduxerunt, ut sit scilicet differentia inter debitores, nec infamia tangat eum, cui dolus non potest imputari. Probat hoc *Iustinianus l. 7. C.* *Qui bon. ced. poss. verbis: cum et si nihil in suo censu hi, qui in parentum potestate sunt, habeant, tamen ne patientur iniuriam debet bonorum cessio admitti.* Confirmat adhuc clarius eandem sententiam *l. 17. C.* *ex quibus cauf. infam. irrog. ait enim Imperator: Debitores qui bonis cesserint, licet ex ea causa bona eorum venierint, infames non sunt:* Ex quibus, si rite perpendantur, liquido vi contrariorum constat, debitores, quibus cessio bonorum non competit, quales

B

sunt

funt hi, qui in dolo versantur, cum beneficia dolosis homini-  
bus nunquam dentur, infamia tam facti, quam iuris laborare,  
Nulla enim datur excusatio aduersus praecepta legum ei, qui  
dum leges inuocat, contra eas committit, nec *leg. 37. pr. ff.*  
*de minor.* auxilium in integrum restitutionis executionibus  
poenarum paratum est.

### §. VIII.

Infamiam' quae iure contrahitur id efficere, ut tollantur  
dignitates, et persona omnium beneficiorum acquirendorum  
fiat incapax, nemo facileſt, qui dubitabit. Nec deficiunt  
leges ciuiles, secundum quas infami iura ciuitatis admuntur.  
Quod si earum auctoritatem sequi fas est, non immerito pla-  
cket sententia, patrem, quem infamia premit, amittere patriam  
potestatem, cum haec sit effectus iuris ciuitatis, hac vero  
sublata cessat pariter adquisitio, quae ob eandem potestatem  
intuitu peculii aduentitii regularis competit patri. Sed  
concedamus etiam patrem infamia notatum iure hodierno  
non vbiique priuari potestate, cum teste *Menkenio in Pand. ad Tit.*  
*Ad Municipalem f. 4.* per solam infamiam ius ciuitatis quaesitum  
non tollatur, nihilominus tamen adhuc defendi potest senten-  
tia, in hoc casu cessare vsumfructum ex peculio aduentitio  
prouenientem, dummodo considerare velis, esse beneficium  
ex legum dispositione patri competens, quod ob dolum com-  
missum nec sibi vindicare, nec ab eius creditoribus, qui tan-  
tum ex persona debitoris adquirunt, peti queat.

### §. IX.

## §. IX.

Aliter vero res se habet, quoties pater sine dolo in ea constitutus est conditione, vt ad beneficium cessionis bonorum prouocare et bona sua creditoribus relinquere cogatur. In eo enim casu nulla amittit iura, sed famae potius et existimationi eius prospicere voluerunt leges. Id tantum requiritur, vt omne lucrum quod debitor iam vere percipit vel adhuc percipere potest, creditoribus bona fide cedat; Quam ob causam non solum proprietas bonorum, sed etiam vſusfructus, quem leges debitori intuitu alterius substantiae tribuunt, a creditoribus iure perfecto exigi potest. Ex ea causa fructus ex dote prouenientes durante adhuc matrimonio ad massam concursus pertinent, et vxori modicum quoddam, vt exinde viuere possit, relinquitur. Nec competit debitori repudiare hereditatem, quae existente concursu ad eum desertur, sed renunciatio tanquam in fraudem creditorum facta decisione Electorali XXV. de anno 1746. pro inualida declaratur. Cuius rei ratio potissimum in eo versatur, quod creditores in locum debitoris obaerati succedant, et eius personam repraesentant. Cum itaque pater, penes quem adhuc remanet potestas in liberos, administrationem et vſumfructum peculii aduentitii regularis non amittat, cum cessio bonorum non sit modus dissoluendi patriam potestatem, sine dubio quoque eius creditoribus, in quos per cessionem tranſitulit iura, haec emolumenta competant, hoc tamen obſeruato, vt filio relin-

quantur alimenta, cum patri incumbat potestas, intuitu  
huius ususfructus, necessaria suppeditare filio.

§. X.

Confirmant hanc sententiam, et creditorum conditioni  
hac in parte adfisit Iustinianus in Nou. CXXXV. c. 1. ubi se-  
quentia inuenies verba: *Praeterea si qua ipsi iura lex vel ex here-  
ditate vel cognatorum donatione in rebus mobilibus praefest in quo-  
rum possessione nondum constitutus sit, competere tamen ipsi videan-  
tur possintque creditores vel partem ex iis, vel etiam totum colli-  
gere. Non equidem de usufructu peculii aduentitii expresse  
disponit lex, nihilominus tamen, cum adquisitio emolumen-  
torum durante concursu patri obueniens concedatur credi-  
toribus, non solum praelendum, sed certe afferendum  
est, eundem casum sub locutione generali, qua utitur Imperator,  
comprehendi, cum species sub genere contineatur,  
imo l. 12. ff. de legib. omnes articuli singillatim aut legibus aut  
Senatusconsultis comprehendti non possint, sed cum in aliqua  
sententia eorum manifesta sit, ad similia procedere et ita ius  
dicere liceat.*



V I R O  
PRAENOBILISSIMO CONSULTISSIMO  
AMPLISSIMO  
D O M I N O  
CAROLO MAVR. LEOPOLDO  
V E R D I O N,  
SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIARVM  
A REDITIBVS PER CIRCVLVM IVTERBOCENSEM ETC.  
AFFINI OPTIMO, CONSANGVINEO CARISSIMO,  
FAVTORI AETATEM COLEND

D. D. D.

IOHANNES CHRISTIANVS SCHWENCKE.

JOHANNES CHRYSOSTOMUS SAMMELSKY

LATOLVETATIS COLLEGIOS

VENI OITIMO CONSILIO CANTABRICO  
CULTISSIMO MINGRI ET COTI SIBOZIV


AERON

CARLO MAUL HEDOLDO

DONATO

BRAZONBUTSIMO CONSILIO LIESIMO

VITIO



---

*F*inter praecipua multaque beneficia, quibus in me educando, bonisque artibus imbuendo de me es meritus, in primis sane numeranda venit cura de animi mei bonitate, quem si qua virtute ornatum sentio, non possum, quin flagrem cupiditate gratum TIBI, aliisque qui intelligunt, quanti in educatione iuvenum facienda sit cura recti animi, ostendendi animum meum, meumque amorem, quem erga TE aeternum foueo.

*Quid iuuat, quaeſo, pulcra corporis pollere forma, quid iuuat elegantia morum commendari, quid iuuat denique exquisitissima doctrina parare viam futurae dignitati, aut ingentes ponderare auri*

auri aceruos, nisi his fortunae donis accedat optimum, dexteritas nempe animi atque puritas? Hanc *TIBI* debo, bonum per omnem vitam, in quauis sorte inestimabile, et in societate mortaliū rem ineffabilis commodi. Accipe igitur mustum, sane haud comparandum *TVIS* de me meritis, ex integerrima autem amicitia profectum, meaeque pietatis monumentum. Addam ardentissima ad Sanctissimum Numen pro *TV A* vita atque felicitate vota, ut ad longissimam annorum seriem *TE* sospitem ac in columpem peruenire velit, inque *TV A* persona me patrem venerari diu liceat, quem heu! nimis premature abstulerunt fata, cuius vero personam lubentissime ac fideliter sustinuisti. Vale atque felicitate omnis generis fruere! *Lipsiae Prid. Non. Iulii,*  
*MDCCXLVII.*

**ULB Halle**  
003 719 014

3





Pr. 30. Bm 14.

1767. 42.



B.I.G.

# EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM CONTINENS:

*An ususfructus peculii aduentitii  
liberorum, si pater bonis cessit, ad eius concursum  
referri possit?*

Q V A M

ILLUVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.

CVRIA IN PROVINCIA SUPREMAE, IVDIC.

LVSAT. INFERIOR. NEC NON FACVLT.

IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. VIII. IVL. MDCCCLXVII.

P V B L I C E P R O P O N I T

IOHANNES CHRISTIANVS SCHWENCKE

IVTERBOG. SAXO.

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

